



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 252. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti. v. 60.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

immaculatum, quamque Sanctum esset, quo nil sanctius sub cælo & mundius exstabat, accepit & attulit secum linteum pretiosum, candidum & novum, & inuoluit illud corpori Christi ad sepeliendum; indicando per hoc quam puri, quam candidi, quam sancti & immaculati esse debeant homines, qui Christi corpus in Eucharistia assumere intendunt, & quodammodo in se sepelire.

Væ igitur miseris illis qui conspurcant corpus vel animam suam peccatis, in quibus tamen illud benedictum corpus toties recipitur & quasi sepelitur, certe Domine Iesu non ibi in sindone munda, sed, pro pudor & dolor! in cloaca iacet fœtidissima, & sordibus plena, & tamen non dedignaris ad nos venire & despectum illum perferre, ô charitas infinita!

**D**omine Iesu patientissime & mundissime, si unquam id à me quoque factum est doleo, & rogo veniam, petoq; abs te, qui solus potes mandare quem vis, munda cor & corpus meum, ut veniens ad me in S. Eucharistia toties delecteris habitare in me quasi in sindone munda.

§. 251. *Et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra. v. 60.*

Magnum signum reverentiæ & amoris erga Dominum quod post eius mortem ipse Princeps venerit ad sepulturam eius, deposuerit corpus è Cruce, illud ipsum involverit sindoni, ipsum portaverit ad sepulchrum & proprium cesserit excisum noviter in petra monumentum.

**D**omine, da mihi obsecro gratiam, ut edam quotidie signum aliquod amoris tui erga proximos & propter te sive in vivos sive defunctos & sic quotidie præparem tibi sepulchrum noviter excisum in petra cordis mei, nam id verè petra est, & quidem durissima, nisi per te mollescat, ceterum Pharaonis indicat mihi quale sit sine te cor meum: quale illud fait, meum erit, si gratia tua deseruerit me. Ne igitur desere me, ne recede à me, sed quiesce in me, ut sit mihi salus à te.

§. 252. *Et advoluit saxum magnum ad ostium monumenti. v. 60.*

Prudenter advoluit saxum magnum Sanctus ille Iosaph monumenti ostio, ut illæsum custodiretur corpus Iesu, ne vel à bestiis laceretur, vel ab ipsis invidis Iudæis ignominia in ipso adhuc sepulchro afficeretur. advoluit autem quia propter magnitudinem & pondus portari non poterat. Id ipsum coaptavit ostio, ne leviter inde vel revolui & deportari posset.

**M**i Iesu, utinam ego imitarer prudentiam & studium huius Sancti, utinam mysticum saxum advolverem custodiæ cordis, nimirum constantiam, ut ubi tu semel intraveris & sepultus in eo fueris, inde nunquam possis

possis erui, aut tolli per malignorum suggestionem spirituum vel concupiscentiam carnis, vel oculorum, vel superbiam vitæ. Obsecro igitur bone Iesu, ut mecum semper sis, maneas, mecumq; opereris omnia ad tui solius maiorem gloriam. Amen.

§. 253. *Et abijt. v. 60.*

Absoluto munere suo, quo ad sepulcrum Christi, sanctus ille Ioseph abiit de sepulchro tristis, quod non possit diutius commorari in loco sepulcræ & custodire ipsemet, ne quid mali accideret, donec videret resurgentem die tertia, relictis ad sepulchrum Domini Maria Magdalene & altera Maria, abijs autem ipse in Civitatem ut adverteret quid populus, quid scribæ & Pharisei dicerent de Christi sepultura, quid ultra machinarentur, & si quid mali putaretur, ipse averteret, abijsque in domum suam meditando jugiter ignominiam Christo innocenti factam, & injusticiam, acerbiter dolorum eius & mortis, expectans triduum resurrectionis.

**D**omine da mihi & hanc gratiam, ut tui singularem curam agam, ne offendaris ullo modo, aut ignominia honori tuo aduratur sive per me sive per alium, sed semper iugiter meditando præsens sim tibi sive in monte Calvariæ, sive sepulchro, sive alibi in terra, sive in cælo mirabilia & inscrutabilia beneficia tua, quorum non est numerus, expendendo mecum.

§. 254. *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria. v. 61.*

Abiens Ioseph reliquit ad sepulchrum Mariam Magdalenam & alteram Mariam nempe marrem Domini, quæ licet vidissent sepulchrum Dominum, & iam saxum advolutum magnum, attamen præ charitate erga Dominum, divelli à sepulchro non poterant donec reverentia militum adventantium pro custodia arcerentur, paratæ utique manere noctes & dies donec viderent resurgentem Iesum plenæ fide spe & charitate, quod etiam eædem ante omnes mortales paulo post promeruerunt.

**D**omine, tali amoris vinculo tecum uniri etiam me opto, ut à te nec nocte neque die cogitatione separet, donec veniat dies resurrectionis æternæ.

§. 255. *Sedentes contra sepulchrum. v. 61.*

Sedentes autem erant contra sepulchrum ea intentione, ut ipsæ custodirent, & essent testes ne quid mali vel ignominia fieret sepulchro aut Domino sepulto, eumque suis vigiliis honorarent, precibus, meditationibus, commentationibus pijs & devotis, fletibus & desideriis devotionis:

**Y**

unde